

sbyteris, Diaconis, & Laicis ipsis, mulieribusque, &c. Magna est enim inter Defunctos & Superstites differentia, ut etiam libri propter differentem eorum, quorum memoria conservatur, statum, discreti sint. Ex quibus verbis duo comperta habemus. Primum est, quod alia essent Ecclesiastica Diptycha Viventium, alia Mortuorum. Alterum est, quod ejusmodi Diptycha tam sacrorum Ministrorum, quam Laicorum, immo & mulierum nomina complecterentur. Inde tamen colligi haud debet, omnia nomina promiscue & indiscriminatim in hisce Diptychis fuisse inscripta, sed in una pagina Episcopi, in alia Presbyteri, in altera Diaconi, atque ita diversis etiam laici ac foeminae Diptychis consignabantur. Doctissimus Bona libr. 2. Rerum Liturgicarum Cap. XII. ait, tria fuisse genera Diptychorum, sive Tabularum, quibus nomina in singulis Ecclesiis inscribentur. Primum erat peculiare Episcoporum, eorum praesertim, qui illam Ecclesiam rexerant, dummodo probitate sua ac sanctis moribus claruissent. Alterum erat Vivorum, in quibus eorum nomina descripta erant, qui adhuc viventes dignitate aliqua, vel beneficiis illi Ecclesiae collatis, vel alio titulo bene meriti erant. In his secundi generis Diptychis primo loco Romanus Pontifex, tum alii Patriarchae, & proprius Antistes, ac reliqui Clero adscripti recensentur: postea Imperator, Principes, Magistratus & Populus fidelis. Tertium genus Diptychorum erat Mortuorum, qui in Catholica communione decesserant, & vel Principatu temporali, vel dignitate Episcopali, vel aliis in Ecclesiam meritis ac beneficiis spectabiles fuerant dum essent in vivis. Praeter haec tria Diptychorum genera, alia, teste eodem Cardinali Bona, erant Diptycha, seu Tabulae, quibus inscripta erant nomina eorum, qui ad Baptismum accedebant.

In summa veneratione apud Fideles erant Diptycha Ecclesiastica, quippe quae in sacro-sancto Mystero exponebantur, & postquam Diaconus, ut legitur in liturgiis Sanctorum Basilii & Chrysostomi, ea thure sufficit, alta voce in Ambone illa recitabat, non tamen omnia Fidelium tam vivorum, quam mortuorum in Diptychis inscripta legebat, (ut quibusdam Scriptoribus perperam visum est. Ad eam siquidem tot nominum recitationem, potissimum post fidem jam propagatam, & extirpatam Idolatriam, nec menses, nec anni suffecissent, maxime in Civitatibus, quae innumerabilem populi multitudinem continebant) sed delectus habebatur, & in Diptychis tam viventium, quam in Domino dormientium, quae publice a Diacono in ambone legebantur, eorum tantum nomina recitabantur, qui inter ceteros aliqua speciali nota praeminebant, facta de reliquis generali com-

commemoratione. Haec praxis legendi inter sacram Synaxim Diptycha Ecclesiastica aperte colligitur ex Actis Synodi Constantinopolitanae anno DXVIII. celebratae. In his enim legitur, quod cum populus conclamasset: *Diptycha amboni. Qui non loquitur, Manicheus est.* Diptycha amboni, Joannes Patriarcha populo satisfacit: *Post lectionem sancti Evangelii ex more sacra Missa finita, & januis clausis (Missa videlicet Catechumenorum, quibus post Evangelii recitationem extra Ecclesiam dimissis januae clauderentur) lectione iuxta consuetudinem facta, tempore Diptychorum concurrat omnis multitudo cum magno silentio circumcirca altare, & audiebat. Et cum solum lecta fuissent a Diacono praedictarum quatuor Synodorum, & sanctae memoriae Archiepiscoporum Euphemii, Macedonii, & Leonis nomina, voce magna universi clamaverunt: Gloria tibi Domine. Sancti Leonis Papae, necnon Euphemii, ac Macedonii urbis Constantinopolitanae Antistitum nomina Anastasius Haereticus Imperator e sacris tabulis eraserat, sed eo mortuo die nona mensis Julii anni DXVIII. e vestigio eorumdem Praesulum nomina sacris Tabulis, seu Diptychis Ecclesiasticis restituta sunt. Eandem praxim recitandi inter Missae Sacrificium nomina in Diptychis inscripta observandam praecipit Concilium Emeritense Canone XIX. his verbis: Proinde salubri deliberatione censimus, ut pro singulis quibusque Ecclesiis, in quibus Presbyter jussus fuerit per sui Episcopi ordinationem praesse, pro singulis diebus Dominicis Sacrificium Deo procuret offerre, & eorum nomina, a quibus Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his Sanctis Ecclesiis videntur, aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sint, ante altare recitentur tempore Missae. Quod si ab hac luce discesserint, nomina eorum cum fidelibus recitentur suo in ordine. Denique, cavet semper Catholica Ecclesia, ne Sanctorum, & in communione Catholicae Ecclesiae defunctorum Episcoporum nomina e Diptychis Ecclesiasticis expungerentur. Haec namque expunctio poena erat illis solis inflicta, qui vel a Fide Catholica defecerant, vel ob aliquod crimen a communione fidelium fuerant separati. Hinc, ut ostendemus in serie Historiae Ecclesiae saeculorum quinti & sexti, postquam S. Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus factione Eudoxiae Augustae, & Theophili Patriarchae Alexandrini in Conciliabulo ad Quercum coacto injuste damnatus & Episcopatu fuisset dejectus, ejusque nomen e Diptychis Ecclesiasticis expunctum; Innocentius I. Pontifex Maximus Sancti illius Episcopi suscepta discussaque causa, injustum hujus Conciliabuli Decretum abrogavit, atque in exilio defuncti Chrysostomi memoriam honorifice restitui curavit, nec aliter pax inter Orientis & Occidentis Ecclesias studiis hac in re divisas iniri potuit, nisi prius restituito, in Ecclesiasticis Diptychis Chrysostomi nomine. Sed, versa*

vice, postquam *Acacius* Patriarcha Constantinopolitanus Euty-
chianæ Hæresis fautor, sese in quinto sæculo ab Ecclesia Roma-
na, facto Schismate, separasset, omni studio connixi sunt Romani
Pontifices *Gelasius*, *Anastasius*, & *Symmachus*, ut perfidi *Acacii* jam
demortui nomen ex Græcarum Ecclesiarum Diptychis omnino de-
leretur, idque tandem obtinuit *Hormisdas* Summus Pontifex a *Ju-
stino* religiosissimo Imperatore, sub quo sublatum fuit diuturnum
Schisma, & pax Orientalem inter & Occidentalem Ecclesiam fe-
licissime restituta est, damnata duorum præcedentium Hæretico-
rum Imperat. *Zenonis*, & *Anastasi* memoria, expunctisque sacris
ex tabulis eorum simul & *Acacii*, cæterorumque ipsis adhærentium
nominibus. Sed de materia, usu, & recitatione Diptychorum Ec-
clesiasticorum hæc indicasse sufficiat.

Alterum, quod in hac Præfatione Lector Historiæ Ecclesiasti-
cæ studiosus accurate velim observet, spectat quintam Synodum
generalem in sexto sæculo, seu anno DLIII. celebratam, in qua
non solum damnata sunt tria famosa Capitula, videlicet scripta &
persona *Theodori* Mopsuesteni Episcopi, scripta *Theodoret* Cyri An-
tistitis, contra XII. Anathematismos S. *Cyrilli* Alexandrini, & E-
pistola *Ibæ* Edesseni Præfulis ad *Marim* Persam; sed etiam confu-
sus est *Origenes*. Plura quidem de hac quinta Synodo generali di-
cemus in Historia sexti Ecclesiæ sæculi; hic tamen Lectorem ne-
cessario præmuniendum esse duxi contra duos errores, in quos
impegit *Petrus Halloixius* Leodiensis Scriptor in Apologia, quam
edidit pro *Origene*. Enim vero, ut *Origenem* ab errore vindicaret il-
le Scriptor, ausus est asserere, quintam Synodum a Sede Apostoli-
ca non fuisse approbatam, sed magis ab Ecclesia Catholica toleratam
esse ac permissam, quam grato animo admissam & receptam. Addit et-
iam, hanc quintam Synodum nulla esse veneratione dignam: Quo-
modo, inquit, *Justiniani* Conciliabulum instigante Diabolo concitatum &
confectum, potest ulla veneratione esse dignum? Secundo, pertendit idem
Scriptor, *Origenem* non fuisse damnatum in quinta Synodo. Hos
duos *Halloixii* errores, velut inaudita hæctenus paradoxa lato &
perdocto calamo confutavit *Card. Norisius* in sua Dissertatione
Historica de quinta Synodo. Quocirca, abunde hic sufficiet duo con-
tra *Halloixium* breviter probare, quæ absque temeritate negari,
aut in dubium revocari haud possunt, videlicet quintam Syno-
dum a Sede Apostolica fuisse approbatam, & tamquam Ecume-
nicam ab universa Ecclesia receptam. Secundo, *Origenem* in quin-
ta Synodo fuisse revera damnatum.

Et primo quidem mirari vehementer subit, qua fronte potue-
rit *Halloixius* asserere, quintam Synodum a Sede Apostolica
non fuisse confirmatam, cum innumera pene extent antiquita-
tis

tis monumenta, queis ejus temeritas facili negotio revinci possit.
Extat siquidem *Vigilii* Papæ ad *Eurychium* Patriarcham Constantinopolita-
num, & ad præjacentem Synodum Epistola, quam Illustrissimus *Petrus*
de *Marca* Archipræsul Parisiensis e veteri Codice MS. Bibliothecæ
Regiæ eruit, in qua *Vigilius* Papa diserte rescindit Constitu-
tum, & alia, quæ pro trium Capitulorum defensione olim scripse-
rat, vel gesserat. Eruditus etiam *Baluzius* in nova Collectione
Concil. pagin. 1551. invenit in veteri Codice MS. Bibliothecæ
Colbertinæ Constitutum *Vigilii* Papæ pro damnatione trium Capi-
tulorum, in quo Summus ille Pontifex fuse, doctèque tria Capi-
tula explicat, refellit & damnat, tandemque concludit his verbis:
*Quæcumque vero sive meo nomine, sive quorumlibet pro defensione me-
moratorum trium Capitulorum prolata fuerint, vel ubicumque reperta,
præsentis nostri plenissime constituti auctoritate evacuemus. Nec solum*
Vigilius Papa, abjecta priori sententia, tria Capitula proscripsit,
& quintam Synodum approbavit, sed etiam eandem Synodum,
tamquam Ecumenicam ab omnibus Fidelibus suscipiendam esse
constanter profitentur *Vigilii* Papæ successores. *Pelagius I.* in E-
pistola V. ad *Narsensem* Romani exercitus Ducem quintam Syno-
dum adversus tria Capitula celebratam appellat universam Syno-
dum, & Venetiarum, Istriæque Episcopos, sed præsertim *Pauli-
num* Aquilejensem Caput factionis Schismaticorum, qui tria
Capitula acriter defendebant, & quintam Synodum repudia-
bant, invocato sæcularium Potestatum auxilio coerceri & in or-
dinem redigi debere affirmat. *Pelagius II.* quintam Synodum
Pontificia auctoritate itidem approbavit, ut videre est in ejus E-
pistola ad *Eliam* Aquilejensem, & Istriæ Episcopos ab Ecclesia
Romana ob trium Capitulorum defensionem divulsos. *Santus*
Gregorius Magnus Synodum quintam, ceu Ecumenicam venera-
tus est, ut constat ex ejus Epistola ad *Joannem* Patriarcham
Constantinopolitanum, ubi postquam Sanctissimus ille Pontifex
professus est, se sicut Evangelii quatuor libros, sic quatuor Con-
cilia, videlicet Nicænum, Constantinopolitanum I. Ephesinum,
& Chalcedonense suscipere ac venerari, confestim subdit: *Quin-
tum Concilium pariter veneror, in quo Epistola, quæ Ibæ dicitur, er-
roris plena reprobatur: & Theodorus personam Mediatoris Dei & ho-
minum in duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse*
*convincitur: septima quoque Theodoret, per quæ B. Cyrilli fides repre-
henditur, ausu dementiæ prolata refutantur.* *Martinus V.* Pontifex
Maximus in Concilio Lateranensi adversus Monothelitas secreta-
rio IV. legi iussit Concilii V. definitionem cum hac Epigraphe:
Definitio sanctæ quintæ Synodi. Sed quid necesse est plures hanc in
rem adducere Pontifices, cum ex libro Diurno Romanorum Pontificum
mani.

manifesto pateat, in professione fidei, quam recens electus Pontifex emittebat, quintam Synodum cum aliis quatuor Œcumenicis connumeratam & receptam fuisse: *Sancta quoque universalis Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, & secundum Constantinopolitanum, quod Justiniani piæ memoriæ Principis temporibus celebratum sit, usque ad unum apicem immutata servare.* His momentis, quæ Conciliorum definitionibus & omnium fidelium consensu roborantur, sole clarius evincitur, quintam Synodum contra tria Capitula convocatam, auctoritate Romanorum Pontificum fuisse approbatam, & tamquam Œcumenicam consensione universæ Ecclesiæ receptam, adeoque a temeritatis nota, ne quid gravius dicam, nullo pacto excusari posse *Halloixium*, qui in contrariam abiit sententiam, & quintam Synodum non erubuit appellare *Justiniani Conciliabulum instigante Diabolo confectum.*

Verum, ne quid hac in re dissimulare videar, ultro quidem ac libens fateor, Hispaniarum Ecclesiæ Episcopos quintam Synodum statim non recepisse, eosque tamen communionem semper conjunctos fuisse cum Romanis Pontificibus, aliisque Episcopis, qui eidem Synodo adhærebant. Sed contendo tamen, inde cum *Halloixio* colligi minime debere, quintam Synodum nec Œcumenicam esse, nec a Sede Apostolica approbatam, aut eam salva & inculpata fide rejicere vel repudiare unicuique integrum fuisse. Ratio est, quia hunc Hispanorum dissensum Romani Pontifices prudenti quadam Œconomia ad tempus dissimularunt, & tolerarunt, donec Hispani errorem facti dedocerentur, quo sibi falso persuaserant, quintam Synodum esse Chalcedonensi contrariam. Ea de causa erga Catholicos & pacis Ecclesiasticæ amantes Antistites Hispanos silentio & dispensatione aliquandiu utendum Romani Pontifices existimarunt, maxime, cum in quinta Synodo generali non de fide, sed de personis tantummodo actum esset, & aliunde reverentia, quam Sedi Apostolicæ deferebant Hispaniarum Episcopi, spem Ecclesiæ faceret maximam, fore ut, errore facti propediem deposito, ad sententiam universæ Ecclesiæ accederent, & quintam Synodum amplecterentur. Hinc *S. Gregorius Magnus* in Epistola ad *Constantium* Episcopum Mediolanensem, qui conabatur *Theodelindam* Longobardorum Reginam piissimam a defensoribus trium Capitulorum seductam ad Communionem Ecclesiæ reducere, prudenter sic respondit; *Quod scripsistis, quia Epistolam meam Regine Theodelindæ minime transmittere voluistis, pro eo quod quinta Synodus in ea nominabatur; si eam exinde scandalizari posse credidistis, recte factum est, ut minime transmitteretur. Unde nunc ita facimus, sicut vobis placuit, ut quatuor Synodos solummodo lauda-*

remus,

remus, & quinta Synodi nullam mentionem faceremus. Ea Œconomia, & prudenti dispensatione usus Sanctissimus ille Pontifex *Reginam Theodelindam*, & alios quamplures Schismaticos, qui Synodum quintam esse contrariam Concilio Chalcedonensi perperam autumabant, evulso eo dubio, quod eorum animis alte insidebat, ad Ecclesiæ communionem feliciter revocavit.

Exploso primo errore *Petri Halloixii*, asserentis quintam Synodum nec a Romanis Pontificibus approbatam, nec universæ Ecclesiæ consensu fuisse receptam; superest, ut paucis nunc refellam alium errorem, in quem lapsus est idem Scriptor in Apologia, quam pro *Origene* adornavit, ubi vanis & futilibus conjecturis capite decimo probandum suscipit, *Origenem non fuisse damnatum in quinta Synodo, quia, inquit, in Actis quintæ Synodi nulla extat Origenis damnatio, nullum de hac Origenis damnatione apud Victorium Turonensem, vel Facundum Hermianensem Scriptores horumce temporum æquales & rerum gestarum testes apparet vestigium.* Arriserat olim eadem sententia Illustrissimo *Danieli Huetio* Episcopo Abrincensi, sed re accuratius pensitata, ut ipse ait *lib. 2. Origenianorum cap. 4. sect. 3. n. 14.* mutavit sententiam, & actam in quinta Synodo *Origenis causam*, ipsumque cum *Affectis* damnatum & Anathemate confossum fuisse invicte probat multis argumentis, quorum præcipua hic perstringere sufficet. Primum petitur ex testimonio *Evagrii*, qui *lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 37.* totius rei summam, & ipsa verba Anathematis in quinta Synodo in *Origenem* prolati refert, ipsumque sequitur totum *Græcorum agmen*, videlicet *Auctor Chronici Alexandrini, Georgius Syncellus, Theophanes, Photius* in libello de Synodis, *Nilus Rhodius, & Anonymi duo*, qui de Synodis quoque scripserunt, quosque in canonici juris antiqui Bibliothecam contulit *Henricus Justellus* vir clarissimus. His etiam suffragantur *Zonaras, Glycas*, maxime vero *Cedrenus*, qui & *Justiniani Imperatoris Epistolam* repræsentant, in qua flagitat a Patribus quintæ Synodi, ut *Origenem, Origenisque Gregales* damnent, & *Nicephorus*, qui Anathematis in quinta Synodo in *Origenem* vibratos recitat *lib. 17. Histor. Eccles. cap. 28.* Præterea, *Cyriillus Monachus*, qui *Justiniani Imperatoris ævo* claruit, & res in quinta Synodo gestas ignorare haud potuit, perspicue docet, *Origenem* in ea damnatum fuisse, ut videre est in *Vita*, quam descripsit *S. Euthymii* *cap. 105.* & in *Vita Sancti Sabæ* *cap. ultimo.* Denique *Origenem* confixum fuisse in quinta Synodo generali testantur *Patres Synodi sextæ generalis, Actio. 17. & 18.* *Leo II. Romanus Pontifex* in Epistola ad *Constantinum Pogonatum Imperatorem*, & ipse *Constantinus Pogonatus* in *Edicto*

ad